

erunt. Si autem considerentur ex se ipsis tantum, scilicet, vt homo delectetur in illis, non ordinando ea ad concubitum; sint ne mortalia, dubium apparet, ex Martino de magistris in lib. de Temperantia. cap. de Luxuria. q. 2. tenente partem negatiuam, sed oppositum est verum, ex D. Tho. 2. 2. q. 154. artic. 4. & Caietano ibi: cuius rei ratio est, nam huiusmodi oscula, tactus, & amplexus, quatenus sunt delectabilia, secundum se sunt ordinata ad venerea, ideo enim natura in eis delectationem posuit, quia ad hunc finem ea ordinauit, tanquam concubitum excitantia, ac etiam in animalibus manifestatur. Vnde cum de se sint circumstantia actus venereorum, eandem deformitatem habebunt, si fiant, sicut, & actus quem circumstantent, si ad concubitum actualiter ordinarentur. Vnde sequitur, si homo oscularetur, aut tangeret delectabiliter aliquam personam, etiam sine intentione exercendi coitum, cum illa huiusmodi oscula, & tactus, vt sic delectabilia, eandem speciem peccati fortiterunt, sicut & coitus cum tali persona, si exerceretur. Signum huius veritatis est remorsus conscientie illius personae utentis talibus, vt actibus libidinosis, ac etiam eorum uerecundia, si fierent in publico, quod non esset, si personae talibus uerentur, non vt delectabilia, & libidinosa, sed simpliciter. Vnde concluditur, sicut delectatio morosa de actu fornicario cogitato, sine intentione exequendi illum, est peccatum mortale, ita delectari in huiusmodi osculis, & tactibus, sine intentione exercendi concubium, ad quem per se ordinantur, sunt peccata mortalia. Et sicut erunt diuersi delectationis cogitatus, de actibus venereis, ac personarum qualitates, quae delectabiliter osculantur, amplectuntur, & tanguntur, ita & species diuersae peccatorum, & consequenter circumstantiae necessarii confidenda. Vnde non sufficit confiteri osculatus sum aliquam personam delectabiliter, & libidinose, sed dicere qualitatem personae. Item non sufficit dicere, habui delectationem super actu fornicario, sed si fuit super simplici fornicario, vel adulterino, aut incestuoso, de quibus infra sufficiet, dicemus in materia de circumstantijs.

Luxuria est vitium capitale, nam, vt dictum est, vitium capitale est illud, cuius finem assequendi, & retinendi causa, multa alia peccata perpetrantur, quae ex illo, tanquam ex principio, oriri nata sunt: talis est luxuria: Luxuria enim finis, cum sit delectatio venerea, quae maxime appetibilis est, tum ex delectationis vehementia, quae tanta est, vt sensus absorbeat, & rationem impediatur, tum ex connaturalitate talis concupiscentiae: ideo ad eam assequendam, & nutriendam, multa alia peccata homo committit: & sicut delectatio venerea est maxima, ita passio, & appetitus concupiscentialis, circa suum obiectum delectabile est vehementissimus, ita, vt vires superiores taliter absorbeat, id est intellectum, & voluntatem, vt circa suas operationes penitus deordinetur. Hinc secundum Greg. in Moral. cap. 31. sequuntur multa alia peccata, tanquam eius filiae. Primo namque sequitur cecitas mentis, ita vt luxuriosus non apprehendat bonum, & malum, vt sunt, videmus enim huiusmodi homines, bona temporalia dissipare, viuendo luxuriose, & honorem parui pendere, aut multa alia sibi inconuenientia facere. Sic dictum fuit senibus, qui exarserant in Susannam Danielis. 13. Species deceptit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Secundo sequitur Praecipitatio, nam, qui amore capti sunt, de rebus agendis sibi consulere non valent, ut eas dirigant ad debitum finem: hinc multoties in uaria mala labuntur. Videmus enim, quandoque aliquos, propter superbiam, uxores ducere nolle, eo quod non inueniunt personas, secundum eorum conditionem, deinde propter luxuriam incontinentiam, sponant concubinas, spurij domos implentes. Alij propter occasionem amoris, uxores plebeas ducunt, eas dotantes, sanguinem, & fami-

Luxuria
non dicitur
vitium capi-
tale.

Filii Luxu-
riae.
Cecitas.

Praecipita-
tio.
Mala quae
gignit Luxu-
ria.